

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

XCV. Manasses resipiscens. Amon ejus filius malè periens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

(462)

NARRATIO XCV.

MANASSES RESI- PISCENS AMON EJUS FILIUS, MALE PERIENS.

4. Reg. 21. lib. 2. Paral. 33.

Ab anno Mundi 3338. ante Christum 715. ad an-
num Mundi 3393. ante Christum 660.

Achazis in Manasse sanguis, qui per Ezechiam fu-
erat defœcatus, in eo rursus se per fæces a-
gere, & ebullire supra modum, visus est.
Successit in regno Iudæ laudatissimo Principi, sce-
eratissimus filius; cuius vita quid aliud erat, quam
lvitia? Fuit is (ut in compendium scelera contra-
ham) simulacrorum instaurator, Deorum fictili-
um adorator; religionis publicæ corruptor; pro-
phetarum interfector; somniorum observator; au-
guriorum sectator; maleficarum artium discipulus
simul ac magister, tyrannus & homicida, si quis a-
lius usquam gentium ac terrarum, cuius gladius Je-
rosolymam cæsorum innocentium cruore replevit.
Denique quæ cæteri regum ad id usque temporis sin-
guli deliquerunt, hæc omnia Manasses patravit, ge-
nitoris per omnia antithesis, hoc unō patris specu-
lum, quod ejus imaginem reddidit ē contrario.
Nam Ezechias initio statim regni sui, quidquid in cul-
tu divino violatum erat, summa religione repara-
vit; Manasses, quæ parens circa pietatem stabilive-
rat, contumeliosē pessundedit. Ille errorum te-
nebris involutos ad veram religionis lucem perdu-
xit;

it; iste pietatis avitae cultores ad impietatem per-
 traxit. Ille nefanda simulacra è Templo sustulit,
 iste in Templum intulit. Ille lucos sacrilegos ex-
 didit; iste instauravit, & restituit. Ille D E I Sa-
 cerdotes & Levitas accivit in ministeria Templi;
 iste proscriptis, eorumque loco idolorum sacrificiu-
 los subrogavit. Ille ariolos & magos regno elimi-
 navit; iste sibi eos inter familiares & domesticos
 ascivit. Ille DEI prophetam *Isaiam*, reliquosque
 Vates, tanquam Numinis interpretes & arcanorum
 consciens, ac prodigiorū effectores maxima venera-
 tione prosecutus est; hic, inter alios viros D E O
 sacratos, *Isaiam*, multa canitie venerandum, sa-
 guine proximum, trium institutorem regum, sa-
 pientia, sanctitate, eloquio, supra humanum om-
 ne constitutum, plagis antē malè mulctatum, de-
 inde acerbissimo cruciatū genere necavit, medi-
 um crudeli ferra dissectum. Ille prolem masculam
 calentibus à DEO precibus & lacrimis impetravit;
 hic filium execrabiliter, lustratum igne, malis
 demonibus consecravit. Ille DEUM per Prophe-
 tas, Sacerdotésque consuluit; iste spiritus orcinos
 incantationibus, & maleficis artibus sollicitavit.
 Ille famulantem sibi habuit solem, & cum sole side-
 ra universa, omnium Creatore D E O, desiderijs
 ipsius obsecundante: iste in contumeliam Condi-
 toris solem & lunam, cæteraque sidera (quæ Sacra
 Pagina *cœli militiam* vocat) honore divinitatis affe-
 cit. Ille nocentibus, & scelerum reis, DEUM sup-
 plicationibus conciliavit; iste innocentum sanguine
 Solymæam urbem inundavit. Ille divinitus de-
 poste potentissimo victoriam, sine sanguine & su-
 dore

SI
 IS
 ad an-
 iam fu-
 reces a-
 sus est-
 i, sce-
 quam
 contra-
 fictili-
 ; pro-
 or; au-
 cipulus
 quis a-
 lius Je-
 plevit.
 ris sin-
 it, ge-
 specu-
 trario.
 in cul-
 epara-
 bilive-
 um te-
 perdu-
 xit;

dore obtinuit; iste ulciscente Numine, in hostium potestatem redactus, catenis servilem in modum vincitus, in carcerem Babylonicum abreptus est. Adeò caput impium priùs patrem; deinde hominem exuit, & suis ut libidinibus terrorem sociaret, proborum omnium hostis in D E U M ipsum, omnibus scelerum machinis pugnavit.

Duodecim erat annorum, cùm regnum adiit, mox aulicorum falsis obsequijs in fraudem induetus, idolomaniae habenas permisit infelix puer. Caussa corruptionis, orbitas; aberat paternijus imperij: aderat summa agendorum licentia, & actorum impunitas. Accessit juvenum leve, & solutis moribus contubernium. Illi fuere venti, qui tam sœvum mare continuis flatibus concivere. Repressa castis Ezechiæ censuris, audacia erupit; nihil ille detrectare, nulli flagitio parcere. Non defuere grandes, & vitæ contemptores animi, qui furenti obsisterent, sed omnes, quos potuit, inaudita sœvitâ trucidavit.

Iratum tot sceleribus Numen, vindex adstitit pede non lento. Nam vix septennium exegerat in regno, cùm *Babylonij*, apertâ jam per Achazem januâ crebris in Palæstinam excursionibus volitantes, Manassem sanguini & saginæ immersum, abjectis regni curis improvidum, & socordem cepere. Di-reptô regnô, vincitum catenis atque compedibus, cum flore nobilitatis Regem ipsum Babylonem alportant, & carceri mancipant, sceleribus jam ante constrictum. Felix ei fuit calamitas. Ubi libertatem amisit, mentem recepit: inter custodiæ te-nebras, lux ei divinorum oborta, vidit, quæ patra-

vit; rece
it, d
u cri
tuen
pona
vit su
amer
O i
tagiti
in cap
obno
tive
ram I
gum:
blivi
remitt
fium
imm
jugat
fueri
injec
volvi
desti
tem
tibus
tater
Hol
a se
triu
nitu
gret
vit;

vit ; acerrimo dolore cordis infractus ingemuit ,
reces & suspiria ad Dominatorem Regum conver-
it , detersit squalore peccatorum frides , lavit fle-
nū crima , abluit manus tot innocentum cæde
cuentatas ; exosculatur vincula , scelerum suorum
venas ; perdius & pernox tundit pectora , rum-
it suspiria , se detestabilem æterno Vindici accusat ,
umentibili voce misericordiam cæli inclamat .

O inexplicabilem Numinis clementiam ! Is , qui
digitorum teterrimorum enormitate diras omnes
in caput provocārat , qui mille fulminum jactibus
obnoxium se reddiderat , auditur à DEO . immit-
titur *Merodachob* , (seu Nabuchodonosori) qui mise-
rum habebat in vinculis , cogitatio de fortuna Re-
gum , & rerum humanarum vicissitudine ; jubet ex-
blii captivum , & exceptum comiter ac magnifice ,
remitit in patriam , eo ipso tempore , quō Ducem
iūum *Holofernem* immenso cum exercitu universis
immisit gentibus , terrarum orbem imperio suo sub-
jugaturum , non advertens , Manassen , si regno suo
fuerit restitutus , consilijs suis in Iudea remoram
injecturum . Sed nimirum haud temere humana
volvuntur negotia , DEO barbari Regis animum ad
destinatos à se fines vertente . Manasses in liberta-
tem asseritur , in solio suo reponitur , novis felicita-
tibus mactatur ; adeò vincebant scelerum atrociti-
atem penitentes lacrimæ . Cæso , cum exercitu ,
Holoferne , reflorescit res Judaica ; Manasses alias
à se ipso , pristinæ fortunæ redditur , particeps fit
triumphalium patriæ plausuum . Ad victoriæ ple-
nitudinem ne quid deesset , seipsum debellare ag-
gressus , ædificat , quæ nuper destruxerat ; destruit ,

G g

qua

quæ nuper ædificarât , lucos exscindit , idola extermi-
nat , aras nefarias evertit , DEI cultum instau-
rat , sacrificia frequentat , malè facta bene factis e-
mendat ; verbo ; de impiō se pium , de sanguinario
mitem , de sacrilego sanctum præstat ; & , qui nuper
impietatis vexillum publicè sustulerat , nunc omnes
antesignanus ad virtutis exempla præcedit . Itaque
recuperatō regnō , felix , pius , potens , ætate pro-
vectus , [nam annum agebat septimum supra sexa-
gesimum] denique decepsit vitā , reductus in spem
felicitatis æternæ , qui tam multis , & verbis , & ex-
emplis adiutum ad perpetuas calamitates patetfecit .
Accessit honor sepulchri ; nam in mausolæo , ab
ipsomet magnifice excitato , conditus est . Neque
tamen post factam culpæ gratiam , vindex DEI ma-
nus pœnam removit , quam à Manassis posteris per
Nabuchodonosorem exigere perseveravit . Quæ
postea namque Judæam pessum dedere mala , Ma-
nassis omnia sceleribus (et si ab auctore suo defletis)
originem debuere suam , implacabilem se præbente
posteriorum fortunis DEO , propter inextinctam in
illius memoria Regis unius , plus quam carnificis ,
immanitatem .

Post eum **Amon** filius , annorum imperij paterni
[quinquaginta quinque] flagitia cuncta , per com-
pendium pravitatis , in unicum biennij sui , quō reg-
navit , curriculum ita congesit : ut nequitia non
modò par , sed plane superior evadens ; *consumatus*
in brevi [nec enim ultra vicesimum quartum pro-
gressus est annum] *explerit* improbitatis multa tem-
pora : pœnitentiæ verò , nec horam , aut momen-
tum . Ita non refert , nec ad bonitatis , nec ad ma-

litiae
quam
fuis
lerib
cient
sum i
eius f
Possib
tem p
accip
trahi

1 S

T

4. R

Ab a

T

Epus
simu
preh
sta.

litiae summam ; quamdiu male quis, sed quantum, quamque vehementer agat. Oppressus est autem suis domestico scelere, DEO celeriter ejus sceleribus finem, & aditum secuturi Regis pietati faciente. In interfectores animadvertisit populus ; ipsum in paternum monumentum intulit, & regnum ejus filio Isiae tradidit, octo tum annorum puer. Posset Improbitas sibi ex Manassis salute felicitatem promittere, nisi in Amone filio documentum acciperet, unius gratia, multorum spes in ruinam trahi.

NARRATIO XCVI. ISAIAS PROPHE- TA EVANGELICUS, ET MARTYR.

4. Reg 19. 20. ex Prophetia. Isa. & Mar-
tyrol.

Ab anno Mundi 3277. ante Christum 776. ad an-
num Mundi 3340. ante Christum. 711.
quod occisus est.

Tantum lucere vanum est ; tantum ardere pa-
rūm ; ardere autem & lucere perfectum : il-
lustre effatum est Clarevallensis Doctoris.
Eiusmodi lucerna diu arsit, & luxit, Isaias Sanctissimus, cuius lucem Iudææ tenebræ non antè com-
prehenderant, quam ab ingratissima fuerat extin-
cta. Erat iste in cæteris Manasseæ crudelitatis ex-